



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio CVI. De peccato originali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO CVI.

## De peccato Originali.

**P**ECCATUM originale non inde nomen desumpsit, quod ceterorum sit origo, sed vel quia origine, naturali scilicet generatione in nos transfunditur, vel quia à primo parente, humani generis origine provenerit, & tanquam ex vitiatâ radice in posteros fuerit derivatum. Hinc appellationes varias sortitur: S. Irenæus peccatum hoc, chirographum vocat quod scripsit Adam: S. Chrysostomus radicale peccatum: S. Cyprianus contagium mortis antiquæ: alii hereditariam maculam, antiquam labem, chirographum mortis appellant. Tandem Franciscus Mayronis peccatum Originale ait esse notam irregularitatis, quam omnis ex Adamo propagatus contrahens illegitimus fit ad assumptionem sacri ordinis Angelorum. Tria verò circa hoc peccatum præcipuè inquiri solent, an sit, quid sit, & quæ ejus pœna. De singulis suo ordine agemus.

### SECTIO PRIMA.

Sitne peccatum aliquod Originale ab Adamo in posteros transfusum.

**I.**  
Pelagius, & alii ex antiquis peccatum originale negaverunt.



**U**t peccatum originale primus negavit fuit Pelagius, ut refert S. Augustinus hæresi 88. & alibi. Pelagium secuti sunt ejus discipuli Cælestius & Julianus. Hi primum parentem sibi soli, non posteris per peccatum nocuisse dicebant, nisi eo tantum nomine, quod malum iis exemplum præbendo, occasione illis tantundem faciendi dederit, ac Dei mandata transgrediendi. Mortem quoque non pœnam peccati, sed ex conditione naturæ hominibus debitam esse affirmabant. Baptismum etiam parvulis, non ad peccati alicujus expiationem adhiberi docebat Pelagius, sed ut cœlum post mortem ingredi possent, quod sine baptismo nemini patebat. Si verò contingeret ut puer quispiam sine baptismo ex hac vitâ decederet, hunc Pelagius beatitudinem naturalem extra cœlum adepturum pronuntiabat. Pelagium postea in originali peccato negando secuti etiam sunt Armeni, Albanenses, & Albigenfes: in quo insuper errore fuisse Abailardum insinuat S. Bernardus epist. III. & epist. 118.

**II.**  
Alii errores Pelagii.

Quamvis post Pelagium peccatum originale negaverint.

**II.**  
Datur peccatum originale, ab Adamo in posteros transmissum.

**C**onclusio: certum omnino est dari peccatum originale, & in omnes, qui fetinali propagatione ab Adamo derivantur (sanctissimam semper Virginem excipimus, quam in decreto de originali peccato includere, non esse suæ intentionis expressè declarat Concilium Tridentinum sess. 5. num. 5. sine) transfundi. Hoc definitum est in Concilio Milevitano & Africano, & jam etiam in Concilio Tridentino sess. 5. citatâ, contra Pelagium ejusque sectatores, quos nonnulli sequuntur ex nostri temporis novatoribus, ut Anabaptistæ, Zuinglii, & alii, quibus more suo favet Erasmus, ut latè ostendit Bellarminus lib. 4. de statu peccati, cap. 2.

Doctrina verò Catholica probatur variis Scripturæ locis, & imprimis ex illo Job. 14. v. 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine. Idem ostenditur ex illo ad Ephesios 2. v. 3. Eramus naturâ filii iræ. Præcipuè verò hoc probat illud ad Romanos 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: quem locum Apostoli semper Ecclesiam Catholicam hoc modo intellexisse definiunt Concilia supra posita. Psalmo etiam 50. v. 6. dicitur: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea: hoc loco autem dici nequit loqui Prophetam de peccatis à parentibus in ejus conceptione admissis, tum quia, ut observavit S. Thomas 4. contra gentes, cap. 50. ex legitimo matrimonio natus erat, tum quia non alienum ibi peccatum accusat, sed agnoscit proprium, ut Deum ad misericordiam inclinet.

**III.**  
Ex divinis Literis ostenditur dari peccatum originale.

Tam vetus quam novum Testamentum testatur dari peccatum originale.

Deinde hoc idem constat ex perpetuâ consuetudine Ecclesiæ baptismum parvulis adhibendi, idque evestigio, si mortis periculum immineret, summaque semper cura fuit ne sine baptismo à vitâ decederent; ut ex Apostolicâ traditione docet S. Dionysius libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ cap. ultimo. Idem docet Origines, S. Cyprianus, S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii: ut merito Bellarminus lib. illo 4. cap. 7. hanc vocet invictam & insolubilem rationem.

**IV.**  
Ex necessitate baptismi probatur nasci homines in originali peccato.

Nec subtilit quod, ut supra vidimus, finxit Pelagius, pueris scilicet non ideo conferri baptismum, ut per illum peccatum aliquod ab iis tollatur, sed ut ingredi possint cœlum: hoc inquam fictitium est; sicut enim cœlum nihil nisi peccatum claudit, ita nihil inde nisi peccatum excludit: non ergo alio modo cœlum iis aperit baptismus, quam tollendo peccatum, quod unicum erat ingressus in cœlum obstaculum. Deinde baptismus est lavacrum regenerationis, cujus beneficio homines mundantur, & à sordibus abluuntur: hinc ad Ephes. 5. v. 26. de baptismo loquens Apostolus, sic habet: Mundans lavacri aqua in verbo vite. Ad Titum etiam 3. v. 5. sinitus.

**V.**  
Conferitur baptismus parvulis baptisimus in per eum tollatur peccatum.

Baptismus est lavacrum regenerationis, cujus beneficio homines mundantur, & à sordibus abluuntur.

de eodem dicitur, per lavacrum regenerationis & renovationis. Item Actuum Apost. cap. 22. v. 16. dixit Ananias Saulo: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Proprius ergo baptismi effectus est ablutio, seu emundatio à peccatis, & ad hunc finem parvulis semper ab Ecclesiâ applicatus. Unde Concilium Milevitanum secundum, & Concilium Trident. sess. 5. num. 4. falsam aiunt esse baptismi formam, si hoc Sacramentum in peccatorum remissionem non conferatur.

*Forma Baptismi arguit eum conferri ad remittenda peccata.*

**VI.**  
*Per Adamii peccatum in omnes pariter transit, non imitatione, sed propagatione.*

Hinc etiam constat inane esse commentum illud Pelagii & discipulorum, qui ut testimonium Apostoli supra ad peccati originalis probationem positum eludant, aiunt per unum hominem, seu Adamum peccatum in omnes transivisse imitatione, non propagatione, & hac tantum ratione peccatum ab Adamo ad nos fuisse derivatum, quòd is se in peccando exemplar quoddam statuendo, nobis fuerit offendiculo, quem nimirum imitantes posteri, & in eum tanquam in caput oculos conspicientes, facilius illius exemplo ad peccandum petrahauntur.

**VII.**  
*Erasmus omni modo cenatur verba Apostoli de peccato originali intelligenda esse de imitatione.*

Hoc Pelagii somnium mordicus defendit Erasmus, & omni modo contendit verba illa Apostoli, non de peccati per propagationem, sed de imitatione, ut volebant Pelagiani, esse intelligenda: hinc Suarez hic, tract. 5. Disp. 9. sect. 1. num. 1. de Erasmo loquens sic habet: inter alia impie dicit, impudenter mentiri eos, qui locum illum Pauli dicunt non posse intelligi de peccato per imitationem. Cum autem videret S. Augustinum maxime hac in parte sibi esse contrarium, & in hanc Pelagianorum explicationem de peccato per imitationem non per propagationem transfuso acerrime invchi, totis viribus conatur Sancti Doctoris auctoritatem extenuare: imò S. Augustinum, S. Hieronymum, & S. Ambrosium in disputationibus adversus hæreticos Scripturas non eâ qua par est sinceritate interpretari homo profanus & impudens affirmat. Tandem ferid omnes monet, ne nimium Pelagianos averterentur.

*Erasmi impudencia.*

**VIII.**  
*Refellitur explicatio de peccato per imitationem, non per propagationem transfundendo.*

Sed inanis planè ac inutilis est hæc Erasmi & Pelagianorum Apostoli explicatio de peccato in nos, non per generationem, sed per imitationem transfundendo. Primò quia Concilia & Patres aperte ei adversantur. Secundò ita peccatum per Adamum in nos transivisse docet Apostolus, sicut iustitia transivit per Christum; hæc autem non solâ imitatione, sed per veram regenerationem à Christo in nos est derivata. Tertio Eva potius & Angelus fuerunt exemplar peccandi, cum peccatum ante Adamum admiserint. Quarto, docet S. Paulus ita peccatum esse causam mortis sicut Adamus est peccati, sed peccatum non per imitationem est causa mortis, sed verè & proprie, ergo & Adamus fuit peccati. Varia contra peccatum originale ab hæreticis obijciuntur, quæ decursu hujus disputationis, prout occurrunt, solventur.

SECTIO SECUNDA.

In quo situs sit peccati originalis conceptus. Novatorum sententia.

**I.**  
*Monstrorum facundia patens hæresis.*

**N**OSTRI temporis sectarii, ut est monstrorum secunda parens hæresis, incredibile dictum est in quot quaque abstrusos, tum in aliis rebus, tum circa originale peccatum errores sint prolapsi. Nec mirum; dum enim Ecclesiâ, quæ

columna est & firmamentum veritatis, relicta, ejusque scitis ac definitionibus contemptis suâ quisque incedit viâ, nova in dies cudent dogmata, fidemque suo arbitratu fungunt, mera denique somnia pro oraculis obtrudunt. Quædam hic eorum placita referam, cætera videri poterunt in Bellarmino & aliis, qui isthæc ex proposito, & fufillimè prosequuntur.

Primus error, vel potius delirium fuit Matthei Flacci Illirici unius ex Centuriatoribus Magdeburgensibus, qui peccatum originale dicebat esse ipsam animam, vel naturam humanam substantiam, quam ab imagine substantiali Dei ad quam creatus est homo, ut habetur Genesis primo, verè transformatam esse in substantialem imaginem diaboli: Quid stolidius.

**II.**  
*Flacci Illirici de peccato originali delirium.*

Hoc itaque Illirici commentum non orthodoxi tantum sed ipsi etiam sectarii insectantur, estque non Fidei solum, sed rationi aperte contrarium: primò enim recidit in errorem Manichæorum constituentium substantiam per se malam. Deinde Christus non assumpsisset eandem specie nobiscum naturam. Item in resurrectione non in eadem specie nature resurgeremus in qua nati sumus. Tandem sequitur animam esse corruptibilem, imò de facto corrupti, cum in omnino aliam transmutetur. Unde ulterius habetur, vel peccatum originale omnino non tolli per baptismum, vel naturam humanam denuo destrui, & mutari in aliam specie distinctam.

**III.**  
*Hæc Illirici somnium Catholicis juxta & acatholici ut verum & firmum regimini.*

Secundò itaque volunt sectarii originale peccatum esse ipsam concupiscentiam, seu corruptionem naturæ ad peccatum Adam in nobis consecutam: ita Lutherus, Calvinus, Philippus Melancthon & alii; qui proinde omnes dicunt peccatum originale semper manere, etiam in renatis, quamvis ob fidem & Christi merita non imputetur. Refellitur tamen hic error primò; peccata enim verè tolluntur, non teguntur tantum, seu non imputantur. Unde Baptismus in sacris Scripturis vocatur lavacrum regenerationis, & eo lavari & mundari dicuntur homines. Præterea minus efficax esset sanguis Christi secundum hunc modum procedendi ad nos mundandos, quam fuerit Adam ad nos inficiendos, cum verè per ipsum infecti fuerimus, cum tamen dicat Apostolus ad Romanos 5. v. 15. *Si enim unus delicto mortui sumus, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit, & cætera.* Deinde falsum est quod imaginantur hæretici de non imputatione peccati cujuscumque, si actu maneat; si enim verè peccatum sit, Deus id semper imputat, juxta illud ad Rom. 2. v. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, &c. non enim est acceptio personarum apud Deum.*

**IV.**  
*Non potest originale peccatum situm esse in concupiscentia.*

Dicunt, concupiscentiam vocari subinde in Scripturâ peccatum. Contrâ: sic Christus 2. ad Corinthios cap. 5. v. 21. dicitur factus peccatum pro nobis, id est hostia pro peccato: vitulus etiam aureus Deuter. 9. v. 2. dicitur similiter peccatum, id est occasio peccati: sic ergo concupiscentia dici potest peccatum, id est effectus vel causa peccati, sicut juxta S. Augustinum lib. 1. de nup. & concupiscentiâ cap. 23. locutio dicitur lingua, & Scriptura manus, quia ab ipsis sunt factæ. Quod si S. Augustinus nonnumquam affirmet concupiscentiam esse & peccatum, & penam peccati, & causam peccati, intelligit non de omni motu concupiscentiæ, sed de iis motibus, quibus vel præbetur consensus, vel non reprimuntur, cum quis deberet

*Sequitur illud per baptismum non tolli, nec homines vel ab eo mundari.*

**V.**  
*Concupiscentia cur interdum vocetur peccatum.*

*Quo sensu S. Augustinus subinde concupiscentiam appellat peccatum.*

deberet eos reprimere. Tandem quando S. Augustinus addit concupiscentiam, contra quam bonus concupiscit spiritus, seu cui resistitur, esse peccatum, vel intelligit causaliter, juxta supra dicta, vel vult esse peccatum in sensu diviso resistentiæ. Videatur Bellarminus citatus cap. 13. Valentia hic d. 6. q. 1. puncto 1. Tannerus hic d. 4. q. 7. dub. 3. qui hæc fusius contra hæreticos prosequuntur.

VI. Tertio nonnulli ex novatoribus volunt peccatum originale, non esse quidem concupiscentiam, seu naturæ corruptionem quasi in actu primo, sed ipsos actuales motus pravos concupiscentiæ. Qui error vel ex eo sufficienter refellitur, quod parvuli etiam recenter nati habeant peccatum originale, qui nihilominus ejusmodi motuum capaces non sunt.

SECTIO TERTIA.

Alia peccatum originale explicandi via.

I. QUARTO itaque dicunt alii, peccatum originale consistere in morbida quadam qualitate in animo, primo conceptionis instanti producta, seu languore quodam, & hanc etiam qualitatem fomitem & concupiscentiam appellant, & ad malum ac peccatum inclinare asserunt. Hæc sententia tribuitur Magistro in 2. dist. 31. Antiodorensi, Henrico, Gabrieli, & aliis apud Tannerum d. 4. q. 4. dub. 4. num. nonagesimo sexto. Sed merito hoc rejicitur ab omnibus; cum enim languor iste maneat in renatis, sequeretur peccatum originale in isdem manere post baptismum: si autem velint, ut velle exiis aliqui videntur, qualitate secundum se non esse peccatum formaliter, sed tantum materialiter quatenus scilicet annexum sibi habet reatum aliquem, qui per baptismum tollitur, nil opus erat ejusmodi qualitatem excogitare, cum concupiscentia ipsa naturalis sufficeret, nec fomes seu inclinatio naturalis ad peccandum aliud est, quam ipsa entitas appetitus originali justitiæ destituti. Quare Tannerus citatus existimat hos auctores in Philosophiâ potius quam Theologiâ errasse, in hoc uno nimirum quod fomitem, seu concupiscentiam ab appetitu distinctam esse asseruerint.

II. Quinto affirmant alii, peccatum originale nil aliud esse quam ipsum peccatum Adami imputatione quadam, & denominatione tantum extrinsecâ omnibus Adami posteris communicatum: unde unum solummodo peccatum originale esse asserunt, idemque omnibus hoc modo extrinsecâ imputari. Hæc videtur mens Catharini in tractatione de casu hominis; quæ tamen sententia, ut eam explicare videtur hic auctor, nempe ut nec singulis insit verè peccatum originale, sed solum tantum quidam peccati ab Adamo derivatus, sustineri non potest, cum Concilium Tridentinum sel. 5. can. 3. definiat peccatum originis inesse unicuique proprium: & sel. 6. cap. 3. propagatos ex Adamo propriam injustitiam contrahere. Sic etiam Apostolus ad Romanos 5. eodem modo mortem & peccatum in omnes homines transisse affirmat, ergo verè parvulis, & omnibus non renatis inest peccatum.

III. Sexto Durandus in 2. d. 30. q. 3. affirmare videtur, peccatum originale nil esse aliud, quam

dignitatem quandam ad penam: qui proinde insinuat peccatum originale non esse verè & propriè peccatum. Sed hoc ab omnibus merito rejicitur; Concilium enim Tridentinum sel. 5. num. 2. anathema dicit ei, qui affirmat Adamum in omne genus humanum peccatum non transfudisse: & num. 5. damnat eos, qui negant per baptismum tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet. Tandem communis est vox Sanctorum Patrum ab Adamo in nos, non penam tantum & mortem corporalem, sed peccatum etiam & mortem spiritualem fuisse derivatam, ut inter alios disertè docet S. Prosper contra Collatorem, cap. 9.

Durandi insinuantis peccatum originale non esse propriè peccatum, aperit pugnat cum Concilio Tridentino.

SECTIO QUARTA.

Verum peccatum originale consistat in peccato Adami habitualiter manente.

HIS itaque opinionibus rejectis, duæ aliæ de originali peccati constitutivo restant, paris penè probabilitatis sententiæ, sive rationum momenta spectes, sive auctorum, qui iis suffragantur numerum, ut difficilè videatur ex his unam præ alterâ amplecti, sibi que sequendam assumere, ut utraque cum sua probabilitate proposita innox videbimus.

Recentiores ergo nec pauci nec indocti asserunt peccatum originale esse ipsum Adami peccatum ad posteros transfusum, iisque inexistens non Physicè, sed moraliter, sicut in adulto manet habitualiter actus peccati semel commissus, donec expietur. Aiunt ergo hi auctores Deum, ut supremum Dominum, ita posterorum omnium voluntates in Adami, tanquam capitis voluntate collocasse, & univisse, ut illo comedente pomum vitium, & peccante, censerentur etiam illi pomum illud comedisse, & peccasse: & licet peccatum illud Adami præcisè prout fuit peccatum personale ipsius, sit ipsi postea penitentiam agenti remissum, ut tamen fuit peccatum capitis, seu spectans ad posteros, in iis manet, eosque statim ac concepti sunt, denominat peccatores: ita Salmeron ad Romanos 5. d. 26. Granado de Immaculatâ Conceptione d. 1. cap. 9. Zumel, & alii plurimi, quam etiam sententiam tenet & fusè declarat Pater Arriaga hic, Disp. 51. sect. 4.

Sed contra primò: Apostolus enim ad Rom. 5. Sicat, inquit, per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per obediendum unius, justis constituentur multi, sed non constituimur justis per obediendum, & alios actus virtutum Christi formaliter, sed solum causaliter, in quantum scilicet promeretur nobis veram justitiam internam sanctificantem, ergo &c. Quibus consonat illud Concilii Tridentini sessione 6. cap. 3. ubi docet parvulos, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahere ex vi propagationis carnalis, sicut fideles per renascentiam in baptismo gratiam Christi consequuntur. Confirmatur: nam juxta idem Concilium Tridentinum peccatum originale inest unicuique proprium, de quo supra postea.

Contra secundo: inintelligibile siquidem videtur quomodo per voluntatem alienam possit quis intrinsicè peccare, & non merè per denominationem extrinsecam, qua de causâ magis consequenter procedebat Catharinus, qui cum hanc sententiam

I. Dux aliæ paræ penè inter se probabilitatis sententiæ.

II. Sententiâ originale peccatum statuentem in Adami peccato, moraliter manente.

III. Sequeretur ex hac sententiâ nos justos constitui formaliter per obediendum Christi.

IV. Sequeretur ulterius peccatum originale non esse nobis intrinsicè, sed extrinsecè imputari.

Non est sitit peccatum originale in morbida qualitate.

Cum hac qualitas, seu languor maneat in renatis, sequeretur peccatum originale per baptismum non tolli.

Quinta sententiâ est, peccatum originale aliud nihil esse, quam ipsum Adami peccati, per denominationem extrinsecam posteris communicatâ.

Hæc sententiâ sustineri nullâ modo potest.

Sententiâ

sententiam sequeretur, infantes aiebat nihil in se habere, quod veram peccati rationem contineat, sed quidquid est peccati, cum A dami peccato transfuisse. Nec urget quod de tutore afferri solet; licet enim in ordine ad quosdam effectus actiones tutoris censeantur actiones pupilli, non tamen ita ut intrinsecè censeatur pupillus per illas agere, sed solum republica illas ratas habet, quoad effectus juris, perinde ac si pupillus illas in propria personâ exercuisset: multò minùs pupillo imputantur ista in ordine ad laudem aut vituperium.

**V.**  
Si Deus, ut potuit, cum Adamo patris fuisset de gratiâ transfundendâ sub conditione de non committendo peccato veniali, posterius nascerentur in peccato mortali.

Contra tertio: potuisset Deus cum primo parente pacisci de gratiâ in posteros transfundendâ sub conditione quod ipse non peccaret venialiter, ut leve aliquod mendacium non diceret, aut quid simile: in hoc casu peccatum illud, ut supponimus, in Adamo esset tantum veniale, & tamen posterius nascerentur in peccato mortali, intuitu enim hujus in ipsis originalis peccati, aeternum privarentur gloriâ seu visione beatificâ, quæ est pena peccati mortalis, ergo peccatum originale in hoc casu non esset peccatum primi parentis, utpote quod ut diximus, solum est veniale, ergo in aliquo alio consistit, de quo dicemus sectione sequente. Quæ verò ad hujus sententiæ probationem afferuntur solvantur sectione sextâ, ubi de iis ex proposito agemus.

SECTIO QUINTA.

Quid in hac controversiâ de peccati originalis constitutione sit sentiendum.

**I.**  
Peccati originalis explicatio, teste S. Augustino, est difficilissima.

**S**ANCTUS Augustinus libro de moribus Ecclesie sermonem de peccato originali instituens, Peccato antiquo, inquit, nihil est ad pradicandum promptius, nihil ad explicandum diffusius. Variis etiam locis ingenue fatetur Sanctus Doctor, se difficultates omnes, quæ in peccati hujus declaratione occurrunt, solvere non posse, ut sibi satisfaciat. Tanti tamen Doctoris auspiciis, lucèque quam nobis hac in re præbuit adjuti, aliquid ad hujus solutionem nodi, peccatiq; originalis explicationem dicere conabimur.

**II.**  
Essentialis conceptus peccati originalis in privatione gratiæ sanctificantis situs est.

Vera itaque sententia affirmat, peccatum originale formaliter consistere in privatione gratiæ sanctificantis, in parvulis per peccatum primi parentis causatâ: ita communiter hodie Theologi, tenetq; S. Thomas hic q. 82. art. 2. & 3. quem sequuntur Thomistæ, S. Bonaventura in 2. d. 30. art. 2. q. 1. Okam, Halensis, & alii, Bellarminus lib. 5. de statu peccati cap. 19. Vasquez hic d. 132. Suarez lib. 7. de gratiâ, Azor tomo 1. lib. 4. cap. 16. Salazar de Conceptione Beatissimæ Virginis, Salas, Valentia q. 12. punct. 1. §. 9. & decimo, Maratus hic, d. 13. sect. 6. Tannerus hic d. 4. q. 7. dub. 4. videturque clarissima mens Sancti Anselmi lib. de conceptu Virginis, cap. 26. ubi sic habet: Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam quam supra posui, factam per inobedientiam Ade justitiæ debita nuditatem.

**III.**  
Pro eodem peccatum originale, & gratiæ ob Adami peccatum deperditio.

Probatur hæc sententia primò ex Concilio Tridentino scilicet 5. num. 2. ubi pro eodem sumere videtur peccatum originale, & sanctitatis in Adamo acceptæ deperditionem: Deinde ibidem, & scilicet 6. cap. 3. docet esse quiddam per peccatum A dami in nos transfusum, quod tunc primò contrahunt parvuli, quando concipiuntur, quodque singulis in sit

proprium, & ut propria injustitia; hæc autem nulli alteri competere possunt, præterquam privationi gratiæ; huic verò satis probabiliter applicantur, sicut & alia quæ à Patribus & Conciliis de peccato originali passim dicuntur, ut quod sit mors animæ, &c. uti modò declarabitur.

Adamus ergo gratiam & justitiam originalem (five hæc donum aliquod intrinsecum à gratiâ distinctum fuerit, five providentia extrinseca gratiæ superaddita, ad frændandum appetitum ne contra rationem infurgeret) non sibi tantum accepit, quo sensu dicitur secundum Concilium Tridentinum & Patres, conditus ad imaginem & similitudinem Dei, Deus item dicitur eum fecisse rectum Ecclesiast. 7. v. 30. sed etiam nobis, dependenter tamen ab ipsius perseverentiâ tanquam à conditione, in nos transfundendam, sin verò caderet, gratia in animabus puerorum non produceretur. Hinc ergo posterius omnes Adami, debitum contrahunt habendi gratiam primò conceptionis instanti, cujus privatio illo instanti est carentia justitiæ inesse debita, sicque mala, & Deo odibilis, & consequenter parvulum reddens à Deo aversum, cumque gratiâ, quæ est vestis nuptialis, sit nudatus meretur puniri penâ huic proportionatâ, nempe ejectione è regno, & spoliatione honorum supernaturalium, sicque hæc privatio est peccatum & culpa, non quidem personalis, & quæ omnes conditiones huic convenientes contineat, sed originalis, & qualem solâ fide cognoscimus; ad hujusmodi enim peccatum, sufficit quòd verè sit quid Deo displicens, & quòd subiectum in quo est faciat aversum à Deo, quæ & alia hujusmodi privationi gratiæ in parvulis competere jam ostensum est, & latius sectione sequente ostendetur in solutione argumentorum.

non accipit Concilium Tridentinum.

**IV.**  
De decreto Dei transfundendi gratiam in Adami posteris.

Quo pacto contrahitur debitum habendi gratiam sanctam.

Privatio gratiæ est culpa, non personalis, sed originalis.

SECTIO SEXTA.

Argumenta contententia peccatum originale non consistere in privatione gratiæ, sed potius in actu Adami moraliter manente.

**O**BICIUNT primò: sicut Adamus de facto creatus fuit in statu gratiæ, seu naturæ elevatae ad finem supernaturalem, ita potuisset tam ipse quam omnes ejus posterius creati in statu naturæ puræ, seu non elevatae, quo in casu nullum fuisset debitum habendi gratiam, sed in illo etiam statu potuisset esse peccatum originale; quidni enim in illo statu potuisset Deus cum primo parente pacisci de actu aliquo obedientiæ nomine totius posteritatis eliciendo: quidquid ergo in illo casu pro peccato originali assignari potuisset, modò potest, ergo non consistit modò in privatione gratiæ, sed in actu Adami moraliter manente, aut alio hujusmodi.

**I.**  
Obj. In statu pura natura potuisset esse peccatum originale, cum tamen tunc non fuisset privatio gratiæ.

Respondetur, vel hinc probari, non posse dari peccatum originale in statu puræ naturæ; nec enim in alio consistere potest, quam in privatione doni alicujus supernaturalis, quod ut omnino gratiæ à Deo confertur, ita etiam intuitu peccati alieni potest illud auferre, quod tamen quoad naturalia non videtur posse contingere, prævalet siquidem existentia naturæ, saltem donec peccet quis personaliter; licet enim posset filius innocens spoliari gratuitis, & puniri penâ medicinali ob delictum paternum

**II.**  
Resp. vel est hæc ipsa ratio non potuisse in statu pura natura dari peccatum originale.

paternum, non tamen iis orbari potest quæ debentur naturæ, ut diximus. Quid quod in hoc etiam statu peccatum originale puniretur privatione perfectionis alicujus naturalis, quod enim sit contra ordinem supernaturalem, non arguit quin sit etiam contra naturalem, æquæ ac esset in purâ naturâ, sicut modo peccatum mortale personale est contra ordinem naturalem, & penam ejusdem ordinis meretur, licet etiam sit contra ordinem supernaturalem.

**III.** Dices, posse in purâ naturâ dari donum aliquod naturale refranans appetitum ne rebellet contra rationem, ergo in illius privatione consistere posset peccatum originale. Sed præterquam quod difficile sit ejusmodi qualitatem naturalem fingere, non videtur in ejus privatione consistere posse conceptum peccati; cum enim qualitas illa non sit vita animæ, nec alia illi competant, quæ in gratiâ reperitur, illius privatio non potest esse mors animæ nec peccatum. Quæ etiam de causâ peccatum originale modo non consistit in privatione fidei aut spei, multò minus in privatione doni alicujus naturalis.

**IV.** Obijciunt secundò: non quæcumque privatio gratiæ est peccatum, sed privatio gratiæ debitiæ; at nulla gratia est vel esse potest debita parvulis pro primo instanti conceptionis, nullus enim obligari potest ad impossibile; non est autem in potestate parvulorum habere gratiam illo instanti, ergo peccatum originale consistere nequit in privatione gratiæ. Confirmatur: quicquid est peccatum, esse debet voluntarium, & liberum; sed privatio gratiæ parvulis nec voluntaria est nec libera, cum non sit in eorum potestate habere vel non habere gratiam; ergo.

**V.** Ad argumentum Respondetur gratiam ex ordinatione divinâ esse parvulis primo conceptionis instanti aliquo modo debitam, non quidem per opera propria, sed per perseverantiam Adami, capitis humani generis, per quæ divini in eo præcepti impletionem, tanquam conditionem obtinendam. Ad Confirmationem dico ad peccatum originale sufficere quod privatio illa gratiæ sit voluntaria voluntate alienâ, seu capitis; nec enim voluntarium propriæ voluntatis requiritur, nisi ad peccatum personale. Ad quam rem appositè S. Bernardus de gratiâ & libero arbitrio, pag. 1178. *Excepto sanè, inquit, originali quod aliam consistat habere rationem, de cætero quicquid hanc non habet voluntarii consensus libertatem, & merito caret, & iudicio.* Privatio ergo gratiæ in posteris ad gratiam elevatis, procedens à culpa primi parentis, est in iis mala, redditque eos aliquo modo odibiles Deo, & injustos, cum justitiâ debita sint orbat.

**VI.** Obijciunt terciò illud ad Romanos 5. *In quo omnes peccaverunt;* ergo juxta Apostolum parvuli nondum nati, actualiter peccaverunt in Adamo in Paradiso, quod peccatum in iis postea natis manet habitualiter. Unde S. Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentiâ, cap. 5. *Per unius, inquit, illius voluntatem malam, omnes in eo peccaverunt, quando omnes unus fuerunt;* ergo peccatum originale non est privatio gratiæ, sed peccatum illud Adami, quod etiam fuit nostrum moraliter, seu habitualiter manens; qui enim semel peccavit actualiter, semper manet peccator habitualiter, donec peccatum condonetur. Confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 5. num. 3. ubi cum egisset Concilium de peccato Adami, postea subdit: *Hoc peccatum Adami, quod origine unum est, & propagatione, non mutatione transfusum omnibus, inest uni-*

cuque proprium, &c. ergo peccatum originale est ipsum peccatum Adami, manens moraliter in posteris.

**VII.** Ad Argumentum Respondetur omnes quidem peccasse in Adamo, hoc autem nihil aliud est, quam peccasse peccato alieno, & per denominationem extrinsecam, quatenus scilicet illud erat peccatum capitis, ac proinde ad omnes aliquo modo spectabat tanquam causâ peccati ad posteros transfundendi. Non verò propterea peccaverunt peccato proprio & intrinseco, quod in nullo alio consistere potest, quam in privatione gratiæ, quæ unicuique inest propria. Quare S. Augustinus lib. 6. contra Julianum, cap. 10. ait, *Peccatum Adami fuisse alienum proprietate actionis, nostrum verò contagione propagationis, id est quod inde seminaliter propagatur;* ergo juxta S. Augustinum, peccatum nostrum, seu originale non est ipsum peccatum Adami, sed aliquid aliud, nihil autem est quod esse possit præter privationem gratiæ; ergo. Quod autem dicebatur, ubi quis peccavit, manere peccatum moraliter donec condonetur, verum est de eo qui peccavit peccato proprio, non alieno, nisi inde in eum derivetur aliqua macula propria. Ad Confirmationem dico Concilium per peccatum Adami loco citato non intelligere peccatum illud quo ipse inquinatus est, sed quod in nos transfudit, ut patet ex contextu.

**VIII.** Obijciunt quartò: manente privatione gratiæ tolli potest peccatum originale, ut si Deus sine gratiâ visionem beatificam, vel unionem hypostaticam parvulo concederet; ergo non potest peccatum originale consistere in privatione gratiæ, cum hac manente tollatur originale peccatum. Respondetur peccatum originale directè quidem consistere in privatione gratiæ, seu sanctitatis debitiæ ex lege & ordinatione divinâ, in obliquo tamen connotat tanquam conditionem, privationem physicam omnium aliarum formarum sanctificantium, etiam non debitarum, non tamen in privatione aliorum donorum, quæ non sunt formæ sanctificantes, ut supra diximus, in quarum privatione consistere posset peccatum originale, si essent ex pacto in posteros transfundendæ. Sic de violatione præcepti affirmativi dici solet, licet directè & formaliter consistat in omissione actus boni, per quem præceptum impletur, connotat nihilominus carentiam actuum malorum, quibus eidem præcepto satisfieri posset, ut ostensum est supra, Disp. 102. sect. 1. num. 5.

**IX.** Obijciunt quintò, ex hac sententiâ sequi, Deum esse causam peccati originalis, cum ipse sit adæquata causa vel quasi causa privationis gratiæ, utpote penes quem solum est producere gratiam. Respondetur negando sequelam, primò quia privatio gratiæ non est peccatum originale quomodocumque, sed prout respicit peccatum Adami: sub hac autem ratione Deus non est causa privationis gratiæ, quicquid sit utrum sit causa illius carentiæ merè ut est quid physicum. Secundò dicunt aliqui Deum nec esse causam privationis gratiæ, nisi ad summum permissivam; voluntas enim ejus producendi gratiam in parvulo, non erat nisi condionata, nempe posito quod Adamus non peccaret, illo autem peccante eam non producit; nec, inquit, opus est aliâ voluntate, sicque merè se habet permissivè respectu privationis gratiæ.

**X.** Obijciunt sextò: si privatio gratiæ sit peccatum originale in parvulis; ergo si Deus sub pacto potuisset transfundendam immediatè in ipsos visionem

*Quæritur omnes peccaverint in Adamo.*

*Ostenditur peccatum nostrum originale non esse peccatum Adami.*

*Peccatum originale consistit directe in privatione sanctitatis debitiæ: in obliquo tamen connotat absentiam omnium formarum sanctificantium.*

*Etiamsi peccatum originale consistat in privatione gratiæ, Deus tamen non est peccati hujus causa.*

*Si Deus sub pacto potuisset visionem beatificam, quæ sufficit peccati originalis poena.*

*Peccatum originale non potest consistere in privatione alicujus doni naturalis.*

*Obj. Gratia parvulis non est debita, cum non sit in illorum potestate eam habere.*

*Ostenditur quo pacto gratia sit parvulis primo conceptionis instanti debita.*

*Quæ ratio privationis gratiæ sit parvulis voluntaria.*

*Obj. Parvuli juxta Apostolum peccasse in Adamo æquæ ac si peccaverint.*

*Docere videtur Conc. Trid. peccatum originale esse peccatum Adami.*

visionem beatificam, aut aliam formam sanctificantem; illius privatio fuisset peccatum originale; ergo nulla fuisset pena originali peccato assignabilis. Respondetur penam in eo casu futuram displicentiam divinam, ejectionem positivam à regno, spoliationem donorum, quibus appetitus subijciebatur rationi, derelictionem in malo concupiscentiæ, mortis & similia.

## SECTIO SEPTIMA.

## Alia quadam circa peccatum Originale.

**I.** **Q**UÆRES primò: cum suprâ Sect. 3. sine *Verum peccatum originale & actuale conveniunt univocè in ratione peccati.* contra Durandum dixerimus peccatum originale verè & propriè esse peccatum; quæres, inquam, utrum univocè in ratione peccati conveniat cum peccato actuali. Varii sunt dicendi modi: Capreolus originale peccatum æquivocè tantum in ratione peccati convenire asserit cum actuali, Richardus in 2. Dist. 32. art. 3. quæst. 2. & Azor tomo 1. lib. 4. cap. 29. q. 3. existimant convenire analogicè.

**II.** *Peccatum originale & actuale conveniunt univocè.* Mihi hac in re juxta principia in Philosophiâ, Disp. 6. de Animâ, Sect. 2. & alibi stabilita, dicendum videtur peccatum originale cum actuali convenire univocè. Ratio est: verus enim conceptus peccati, ut diximus, in utroque reperitur; ergo hic conceptus potest à differentiis quibus inter se discrepant abstrahi, sicque erit unus perfectè, & consequenter univocus, cum hæc sit regula quæ à Dialecticis ad dignoscenda univoca constituitur.

**III.** *Probabilius est, non posse dari peccatum originale veniale.* Quæres secundò: utrum dari possit peccatum originale veniale. Pars negativa videtur probabilior; cum enim ex solâ Fide habeamus peccatum originale, non est extendendum ad alia quàm ad ea, quæ Fides cogit: Fide autem ad aliud peccatum originale concedendum non compellimur, præter illud quod defecto contrahitur, hoc verò est mortale, quodque meretur penam damni æternam, ut suprâ Sectione 3. num. 4. diximus.

*Quorundam hæc de re sententia.* Aliqui nihilominus affirmant posse peccatum originale veniale consistere in privatione alicujus alterius doni præter gratiam habituales, Fidei scilicet vel Spei, quod tamen non videtur admitendum; tunc enim contra omnes de facto foret in parvulis peccatum originale veniale.

**IV.** *Verum gratia per perseverantiam, & actus bonos Adams in nos transfundenda, fuisset meritum.* Quæres tertio: utrum sicut privatio gratiæ, prout respicit peccatum Adams, est peccatum originale, ita & gratiæ derivanda in nos per actus bonos Adams, si perseverasset, fuisset meritum. Respondetur si per meritum nihil aliud intelligatur, quàm præmium ob bonum opus alterius collatum, posse aliquo modo dici meritum. Secundò negari id simpliciter potest, & dici plus requiri ad meritum, quàm ad peccatum, cum & per puram omissionem peccare quis possit, non tamen mereri.

**V.** *Quo sensu peccatum originale in parvulo dicitur posse peccatum.* Quæres quarto: utrum hæc privatio gratiæ, in qua peccatum originale statuimus, sit etiam pena: Respondetur cum S. Thoma hic, quæst. 87. art. 7. formaliter, seu respectu sui non esse penam, sed tantum culpam in parvulo, cum non supponat culpam parvuli: at verò etiam in parvulo esse potest pena si consideretur respectu effectuum inde secutorum, concupiscentiæ, mortis, &c. Tandem respectu Adams esse potest pena quatenus nimi-

rum per illam ipse in suis posteris punitur.

**VI.** *Ab Adams solus, non Eva peccato pendebat peccati originalis in nos transfuso.* Quæres quinto: utrum à solo Adamo vel etiam ab Evâ dependeret transfusio peccati originalis. Respondetur cum eodem Sancto Thoma q. 81. art. 5. peccatum vel peverentiam Evæ nihil ad hoc pertinuisse, sed solius Adams, utpote cujus transgressioni in Scripturis passim tribuitur peccatum originale in posteris; sic enim ad Romanos 5. v. 12. & 19. dicitur. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, &c.* Item primæ ad Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur.* Tandem Concilium Trid. sess. 5. num. 2. ait, *Adamum gratiam nobis perdidisse.* Illud verò Ecclesiastici 25. ubi dicitur, *A muliere initium factum est peccati & per illam omnes moriuntur*, intelligitur occasionaliter.

**VII.** *Quid si Eva sola, vel stante Adamo, aliquis ex illius posteris prolati fuisset in peccati.* Quæres sexto: quid si Eva sola peccasset, non Adamus, vel si stante Adamo aliqui postea ex illius filiis peccasset. Respondetur si Eva sola peccasset, gratiam & justitiam originale sibi perdidisset, posterius tamen omnes cum gratiâ & justitiâ originali nati fuissent. Quoad secundum Scotus in 2. d. 32. affirmat, si aliquis ex Filiis Adæ postea peccasset omnes filii illius posteris contracturos peccatum originale. Contrarium nihilominus dicendum cum S. Thoma citato, & communi doctorum sententiâ, sibi enim soli nocuisset is, quicumque fuisset, non aliis, cum illorum caput constitutus non fuisset, saltem nullum id asserendi habemus fundamentum. Probabilius etiam videtur, si Adamus peccasset post animationem foetus, prolem illam non amissuram fuisse gratiam, nec justitiam originale, ut cum S. Augustino in Plal. 48. docet communis sententia.

**VIII.** *Quid si Adamo censuratum fuisset in illo peccatum originale.* Quæres septimò: fuerint in Adamo peccatum originale? Affirmat Cajetanus hic, q. 83. art. 1. Dicendum tamen in Adamo non fuisse peccatum originale, nisi causaliter, in quantum nimirum illius peccatum causa fuit, ut nos omnes originale peccatum contraheremus. Quare non incongrue distinguere possumus, & dicere in Adamo fuisse peccatum originale originans, non originatum.

**IX.** *Verum si Eva non peccasset, Adamo tamen peccato, contraxisset illa peccatum originale.* Quæres octavò: utrum si Eva non peccasset, Adamo tamen peccante contraxisset illa peccatum originale. Respondetur negativè; quamvis enim illa ex Adamo processerit, utpote ex illius substantiâ formata, non tamen feminali propagatione ab illo est progenita, quod ad contrahendum originale peccatum censetur ab omnibus requisitum. Hinc sequitur, si homo quispiam jam à Deo crearetur, aut alio quovis modo, quam per generationem naturalem à Deo miraculosè ex humanâ carne formaretur, sequitur, inquam, eum originale peccatum non contracturum.

**X.** *Ex solâ ebriatione fructum vitis contraxisset peccatum originale.* Quæres nonò: si Adamus aliud mortale peccatum admisisset, præceptum tamen de non comedendo ex ligno vetito non fuisset transgressus, utrum inde nos originale peccatum contraxissemus. Respondetur nos ob illud aliud peccatum non contracturos peccatum originale, nec gratiam amissuros; soli enim peccato eius ligni vetiti alligatum videtur pactum illud Gen. 2. v. 17. à Deo cum Adamo initum. Si tamen post aliud peccatum grave Adamus adhuc de ligno illo comedisset, nos per hoc secundum peccatum gratiam amississemus, non quod Adamus illam tunc habuerit, sed quia nos jus ad eam habendam necdum amiseramus. Probabilius tamen est, si Adamus interius tantum, seu solâ voluntate circa comestionem illius pomi deliquisset, & non opere peccatum com-  
**XI.** *Quid si Adamus solus peccasset.* plevisset

plevisset exterior, nos originale peccatum inde non contracturos.

**XI.**  
Ad peccati originalis transmissio- nem postum aliquid, vel ordinatio divina requiritur.

Quæres decimò: utrum requiratur pactum ad transfusionem peccati originalis? Respondetur aliquam saltem Dei ordinationem ad hoc requiri; neque enim ex naturâ rei peccatum Adami transit, vel peccatum transfunditur in posteros, alioqui peccata etiam parentum modò transirent in filios, verisimilius tamen est debuisse hanc Dei ordinationem Adamo innotescere, alias privatio gratiæ non fuisset ullo modo voluntaria. Ut verò parvulus in conceptione contrahat peccatum originale, aliud non requiritur, quàm ut anima uniatu carnî seminaliter ab Adamo propagata, & hoc modo homo concipiatur.

**XII.**  
De pœni se- cundariis peccati origi- nalis.

Quæres undecimò: quam sint pœnæ peccati primi parentis, & originalis? Respondetur inprimis illius pœnam esse mortem corporalem, corruptionem naturæ, & alia hujus vitæ mala; dissipato enim semel statu innocentie, natura sibi relinquatur, & consequenter hujusmodi motibus naturaliter agitur, quibus alioqui ex peculiari Dei providentiâ caruisset.

SECTIO OCTAVA.

Varia inquiruntur circa parvulos sine remedio peccati originalis decedentes.

**I.**  
Pelagiani veram Dei visionem parvulis in originali decedentibus concesserunt.

**Q**UÆRES quid parvulis illis fiet, qui sine baptismo decedunt? Pelagiani, ut diximus sect. 1. cum ipsos nullo originali peccato infectos esse assererent, licet è cœlo seu beatorum convictu eos excluderent, ob illud Joannis tertio, v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*, veram tamen beatitudinem seu visionem Dei parvulis ab eis concessam esse probabilius est, ut ex variis locis Sancti Augustini deducitur.

**II.**  
Parvulos in originali decedentes aternâ vitâ privandos certum est.

Certum nihilominus est parvulos istos verè esse damnatos, omnique ut gratiâ, ita & visione Dei, seu gloriâ privatos. Hic est communis Ecclesiæ Catholice sensus, & ostendi videtur ex illis Apostoli verbis ad Romanos 5. v. 1. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*: Probatur etiam clarè ex loco illo Joannis 3. præcedente numero citato, inane enim videtur inter regnum cœlorum & vitam aternam distinguere, cum in Scripturâ semper pro eodem sumantur. Tandem hoc à Concilio Florentino in literis unionis est definitum.

**III.**  
Parvuli cum originali decedentes non cruciabuntur igne.

Quæritur ulterius, utrum hi parvuli præter pœnam damni, pœnam aliquam sensus patiantur? Volunt aliqui cruciari illos pœnâ ignis, cui opinionioni favere videtur S. Augustinus, S. Fulgentius, & alii nonnulli ex Sanctis Patribus. Contrarium tamen est probabilius, quod cum sancto Thoma q. 5. de malo tenent omnes ferè Scholastici, estque expressa sententia sancti Gregorii Nazianzeni, Ambrosii & aliorum nonnullorum ex sanctis Patribus, & desumi ulterius videtur ex Innocentio tertio, cap. *Majores* de baptismo, ubi dicitur pœnam peccati originalis esse carentiam divinæ visionis, peccati verò actualis perpetuum gehennæ cruciatum. Et sanè cum fides ad hoc non cogat, nimis durum videtur puniri aliquem pœnâ ignis, eaque aternâ ob peccatum ab alio commissum. Nec adeo explorata hac in re est mens Sancti Au-

R. P. Comptoni Theol. Scholasti. Tom. I.

gustini, imò valde eum in hac controversiâ dubium fuisse constat; ut advertit Tannerus hic disp. 4. q. 10. dub. 5. lib. enim quinto contra Julianum cap. 8. & Epistolâ 28. ad Hieronymum sic habet: *Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi erede coarctor angustis, nec quid respondeam prorsus invenio &c. Doce igitur quid sentire, quid dicere debeamus.*

**Dubia est mens S. Augustini circa pœnam parvulorum.**

Alii itaque licet parvulos pœnâ ignis cruciandos negent, dicunt nihilominus levi aliqua eos tristitiâ afficiendos ob amissam beatitudinem, quæ ipsis remota, in primo scilicet parente fuerat debita: ita post Fulgentium & S. Augustinum affirmat Abulensis Math. 25. q. 666. Aureolus, Petrus Sotus; Bellarminus lib. 6. de peccatis cap. 7. Valentia q. 17. puncto 4. Tannerus hic, d. 4. q. 10. dub. 5. num. 110. licet contrariam sententiam fateatur inter Theologos esse communem.

**IV.**  
Censent aliqui parvulos hoc levi tristitiâ aternam afficiendos.

Secunda ergo & vera sententia negat parvulos ullâ omnino pœnâ, dolore, aut tristitiâ afficiendos, sed solâ pœnâ damni: ita S. Thomas, S. Bonaventura, Halensis, Scotus, Durandus, Gabriel, Salmeron ad Romanos 5. d. 48. Vasquez d. 134. cap. 3. Salas d. 11. sect. 6. num. 83. Zamel hic, q. 83. art. 8. qui tamen in eo excedit, quòd sententiam hanc certam, catholicam, & omnium Theologorum esse pronuntiet. Ratio autem est quia cum non peccaverint personaliter, non videntur aliâ pœnâ digni, quàm pœna damni, ut supra ex Innocentio tertio ostendimus.

**V.**  
Hi parvuli nullo omnino dolore aut tristitiâ afficiuntur.

Licet verò cognoscant (quamvis id aliqui negent) se privatos visione beatificâ & gloriâ Sanctorum, nullum tamen inde dolorem capient, considerantes namque se beatitudinem illam, non suâ culpâ sed alienâ perdidisse, item felices esse se præ aliis, qui pœnæ aternæ ignis sunt adjudicati, præterea felicitatis illius adeptionem nunquam se in suâ potestate habuisse, & inutilem de eâ tristitiam futuram, facile illam impediunt, præsertim cum inordinatis motibus carentes, haud difficulter in divinâ voluntate & ordinatione acquiescant. Deus etiam concursus ad dolorem, qui ex cognitione amissæ beatitudinis connaturaliter sequeretur, potest suspendere.

**VI.**  
Quamvis celesti gloriâ sciant se privatos, nullam tamen inde capient tristitiam.

Quæri tandem potest, quales, & quo loco sint post diem judicii futuri hi parvuli. Tannerus hic d. 4. q. 10. dub. 5. num. 95. & videtur communior inter Theologos opinio, existimat eos in loco quodam subterraneo obscure perpetuò detentum iri. Ratio eorum est, quia cum inimici Dei sint, & è Paradiso ejecti, non videtur convenire illis locus adeo amœnus, ac volunt aliqui terram post diem judicii futuram. Deinde dicunt multi terram tunc aquâ undique cooperiendam: quo tamen non obstante Salas d. 11. sect. 6. num. 95. & alii putant parvulos natando in aquis, & super terram degere posse.

**VII.**  
Putant aliqui parvulos hoc in loco obscure subterraneo semper detentum iri.

Alii itaque, & melius, volunt eos post diem judicii super terram in loco amœno perpetuò mansuros, alioqui, inquit punirentur pœna sensus, si corporibus induti carerent luce, & consequenter visu sensuum ac membrorum: ita Suarez tomo 4. in tertiam partem, d. 45. Lessius lib. 13. de perfectionibus divinis cap. 22. Salmeron, Salas, & alii: Addit verò Suarez tomo 2. in 3. p. d. 48. sect. 2. si intra terram mansuri sint, terram futuram pellucidam, ut ad eos lux perveniat, & commodum ibidem habeant vivendi locum. Tandem multi eis concedunt, non solum cognitionem Dei, & consequenter amorem, sed etiam perfectam aliarum rerum notitiam, & hoc sensu beatitudinem natura-

**VIII.**  
Alii eos post diem judicii in loco amœno super terram perpetuò mansuros asserunt.

Habebunt Dei cognitionem, & amorem.



ralem, licet non completam, cum habeant peccatum. Erunt etiam impeccabiles, incorruptibiles, impassibiles &c. ut bene ostendit Tannerus citatus num. 103.

IX.  
Ex diversis capitulis oritur maiorem aut minorem esse poenam damni.

Dices: poena damni est maior quam poena sensus in adultis; nonnulli enim ex Sanctis Patribus affirmant poenam damni esse longe acerbissimam, si ergo parvuli puniri possint poena maiore, possunt minore. Respondetur primo, poenam damni seu privationem visionis beatificae & donorum supernaturalium esse eo maiorem vel minorem formaliter, seu in ratione poenae, quod fuit illorum acquiritio magis vel minus in illius potestate, qui illa amisit, & etiam quod magis ea culpa sua perdidit: cum ergo nunquam fuerit in potestate proximam parvulorum acquirere gratiam, vel visionem beatificam, esto concederemus in adultis poenam damni esse maiorem poena sensus, de quo statim, adhuc

non sequitur eam esse adeo gravem in parvulis. Deinde consequentia nulla est; privatio enim gratiarum peculiarium habere potest cum peccato alterius connexionem, non tamen eam habet poena sensus: sic in humanis ob peccatum parentis filium saepe videmus bonis paternis exui, qui tamen non propterea flagellari possent, aut alio supplicio affici.

Secundo responderi potest, poenam damni solitarie sumptam, & non prout includit tristitiam inde resultantem (quo sensu dicunt Patres illam esse gravissimam) licet sit maxima poena secundum quid, cum sit carentia summi boni, simpliciter tamen respectu patientis, poenam ignis & vermem conscientiae esse graviores, ut aperte docet Sanctus Thomas quaest. 5. de malo art. 1. ad 3. & alii.

Privatio gratiarum peculiarium habet cum alieno peccato connexionem.

X.  
Si poena damni solitaria sumatur, videtur superari posse à poena sensus.

## DISPUTATIO CVII.

### De divisione peccati in actuale & habituale.

I. **H**ÆC ultima restat ex iis quas supra posuimus peccati divisionibus, in actuale scilicet & habituale. Actuale peccatum quid sit, notius est, quam ut à quoquam in dubium vocetur; tunc enim contingit, quando quis actu Deum offendit, & aliquam ejus Legem transgreditur, vel actum prohibitum exercendo, quod peccatum commissionis dicitur, vel actionem aliquam preceptam omittendo, quod vocatur peccatum omissionis: De quibus fuscè dictum est supra.

II. Certum etiam est, dari peccatum habituale, per quod transacto peccato actuali, homines denominantur peccatores, donec peccati illius remissionem obtineant: Sic Luca cap. 7. vers. 37. dicitur: Mulier quæ erat in civitate peccatrix; Sic Christus dicitur manducasse cum peccatoribus, vocare peccatores, pro peccatoribus mortuus, &c. Hinc etiam macula aliqua, transacto actuali peccato, in hominibus manere dicitur, ratione cujus immundi & sordidi appellantur: e contra verò justificatio in pii mundatio dicitur, & ablutio. Hujus itaque peccati, & macule naturam ac notionem hic inquiremus.

### SECTIO PRIMA.

#### Referuntur variae sententiae circa constitutionem peccati habitualis.

I.  
Prima sententia ait peccatum habituale esse habitum vitiosum.

**P**RIMA sententia est Ariminensis, qui peccatum habituale, vult esse habitum vitiosum, cum nihil aliud sit ab actuali peccato in animâ relictum. Sed contra: habitus namque vitiosus, etiam in iustis permanent remisso peccato. Contra secundò: omisio enim pura nil physicum in animâ producit, cum tamen post peccatum puræ omissionis maneat in animâ peccatum habituale, non minus quam post peccatum commissionis. Per quæ etiam impugnata manet opinio Magistri in 4. dist. 33. peccatum habituale constituentis in qualitate quadam à peccato actuali relictâ.

Secunda sententia tribuitur Scoto, peccatum scilicet habituale nihil esse homini intrinsecum, sed solam ordinationem Dei extrinsecam, qua illum, qui peccatum actuale admisit, destinatur ad poenam: qua de causa hæc sententia peccatum habituale appellatur relationem rationis. Ab hac opinione acutissimum Scotum liberat Hugo Cavellus, & meritò; ab omnibus enim rejicitur, primò quia non malum sed bonum est ordinari ad poenam, unde à Deo directè & per se fit, qui tamen nullo actu suo hominem constituere potest peccatorem. Deinde demones jam in inferno peccant, qui nihilominus propterea ad novam poenam non destinantur. Præterea si Deus hominem, qui peccavit, punire nollet, sicque non destinaret eum ad poenam, dicerent tamen communiter omnes, manere posse peccatum, sicut e contra remittere posset habituale peccatum, non remis à poenâ. Tandem destinatio ad poenam, est effectus peccati, & homini planè extrinsecus.

II.  
Secunda sententia est, peccatum habituale esse ordinationem ad poenam.

Deus nullo actu suo hominem constituere potest peccatorem.

Tertia